



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 61. Hispaniæ Regis, & Sabaudiæ Ducis Legatio ad Regem ob hanc
repulsam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI.

A. C. 1564.

§ LXI.

Hispaniæ Regis, & Sabaudicæ Ducis legatio ad Regem ob hanc repulsam.

Thuan. l. 36.
n. 6.

Spond. hoc
ann. n. 5.

Ceterum Galliarum Rex una cum aula sua ad Fontem-Bellaqueum hiebat, cum Legati Hispaniæ Regis, & Sabaudicæ Ducis Mense Februario advenirent, qui unacum Sedis Apostolicæ Nuntio Regem rogabant, ut Concilii Tridentini decreta per universum Regnum suum diligenter observari curaret, simulque ex suis quosdam Nancejum in Lotharingiam ablegaret, qui decretorum lectioni die vigesima quinta Martii habendæ interessent, cum ceterorum Principum Oratores pariter eo convenirent, quibus mediis hæreses Christianæ Reipublicæ quietem interturbantes extirpari possent, deliberaturi: Insuper hi Oratores a Rege petebant, ut bonorum Ecclesiasticorum alienationem prohiberet: ne vero æris alieni dissolvendi necessitate se excusaret, paratos se ostendebant Philippus Hispaniæ Rex, & Sabaudus Dux, quantum ad eos attinet, in sacri Ordinis gratiam jus suum remittere: porro eundem Regem Carolum monebant, ut contentus esset dono gratuito, quod

quod illi libenter ad dotalem pecuniam ei promissam erogaturi sint: præterea suadebant, ut seditiosos, ac schismaticos exilio, aut alia pœna mulctet, & severæ animadversionis in eos exemplum statuatur, cum illi templa destruxerint, bona Sacerdotum diripuerint, & Regni hostes in Franciam introduxerint; gratiam vero seditiosis in ultima pacificatione cum Protestantibus factam revocet, præcipue iis, qui in divinæ Majestatis crimen incidisse comperientur: tandem ab eo fieri volebant, ut jus æquum inter subditos suos redderet, & severe in conscios, & auctores cædis Guisii, qui detestanda nuper proditione interfectus erat, citra dissimulationem, ac sine ulla dilatione animadvertat. Ceterum in id Legati nomine Principum suorum omnem operam, opes, ac vires suas ad Regis obsequium offerebant.

Sæcul. XVI.
A.C. 1564.

§. LXII.

Regis responsum ad hosce Oratores.

Ad hæc Rex a Regina Matre sua, & Hospitalio Cancellario instructus hisce Oratoribus respondit: „Gratias habeo Principibus, & Dominis vestris „pro tam salutari, ac laudabili, quod mihi dederunt, consilio, ac vobis imprimis, „qui ob id dignati estis ad me venire,

Thu. l. c.

R 2 insu-